

obitum sibi gratulatus est Ferdinandus I. p) quod ad sedandas
 discordias publicas animum adjecisset, & tolerantie in religione
 formulam Deus sibi in mentem dedisset. q) Excipimus tamen hoc lo-
 co religiones, quæ, ut superiore seculo Anabaptistarum, r) ho-
 die Quakerorum s) Magistratibus se opponunt: illos enim ex-
 tirpandos & è medio tollendos quivis facile concedet. Hinc e-
 tiam quod Imperatores Romani credebant Judæos ac Christia-
 nos nocere imperio, tot persecutionibus eosdem conficere po-
 tuis, quam suam potentiam in discrimen adducere decreverant.
 De Judæis quidem inquit Cicero t) armis eosdem ostendisse, quid
 de Imperio Romano sentirent: De Christianis vero Svetonius u)
 ait: Judæos impulsore CHRISTO assidue tumultuatos esse. Ast
 laudabilis est Trajani ad Plinium epistola, vv) in Christianos non
 prius animadverti debere, quam ubi eos aliquid contra Imperium
 moliri cognovisset. Cæterum, quid sentiendum de iis, qui dum se-
 ditiosis populis imperant, ad tollendam inter ipsos concordiam,
 diversarum religionum semina spargunt, non disputabimus.
 Placuit hoc Jeroboamo x) qui mutato Dei cultu suos subdi-
 tos à reliquis Judæis penitus abstraxit, nulla relicta oc-
 casione cogitandi de pristino Davidis & Salomonis imperio.
 Simile finem proposuerunt sibi Ægyptii reges: cum enim fa-
 ctionibus deditissima sit illorum natio, ita ut factis fossis in Civi-
 tate Cairo conventuum & conciliabulorum copiam præripere
 necessum fuerit, y) non nisi per religionum diversitatem disso-
 ciare poterant animos, z) unde pleraque animalia effigiesque compositas
 eosdem veneratos tradit Tacitus. aa) Idem cum Christianis ten-
 tavit Julianus bb) quod subodoratur Augustinus, cc) Eo modo,
 inquit, putat Christianum nomen posse perire de terris, si unitati Ec-
 clesie, de qua lapsus fuerat, invideret, & sacrilegas dissensiones liberas
 esse permetteret.

a) Cæs. lib. 2. bell. Gal. b) Senec. ep. 76. c) Cic. in Ver. Act. 4. cap. 5.
 d) Idea Boni Principis Symb. 24. e) Eman. Meteran. hist. Belg. l. 1. f) Adolph.
 Brachel. lib. 6. p. 64. g) Joan de Laët Hisp. p. 101. h) Arnold. Montan. cap.
 24, 25. i) Thuan. Hist. part. 2. lib. 52. k) lib. 1. Orat. 22. l) Everard. Reidan.
 Ann. l. 3. m) Sleid. lib. 8. & 9. n) Brachel lib. 1. pag. 5. o) de Solimanno
 vid. Parei Medull. hist. p) Crato à Crafftheim in epist. præliminari in Dubravii
 vii historiam Bohem. q) Sleid. lib. 24. confer. Gottf. Svevi Disputat. de Pace

B

religiosa